DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
FEBRE PVTRIDA
EX PRINCIPIIS BRVNONIANIS
EXPLICATA

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE REL.
C O N S E N S V
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS IVRIBVS PRIVILEGIIS ET
IMMVNITATIBVS
RITE CAPESSENDIS

A. D. XXVII. SEPTEMBRIS MDCCXCIV
PVBLICE DEFENDET

A V C T O R
JOANNES DAVID MELBER
FRANCOFVRTANVS.

JENAE
LITERIS MAVKIANIS.

S. R. I. G.

LIBERAE CIVITATIS CAESAREAE

MOENO-FRANCOFVRTANAE

SENATVI SPLENDIDISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS
CONSVLTISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS MAGNIFICIS

PRAETORI CONSVLIBVS

SCABINIS SYNDICIS

ET

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS

SCIENTIARVM ET ARTIVM
FAVTORIBVS

PATRONIS SVIS SVMME VENERANDIS

HANC

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
MEDICAM

DEVOTA MENTE

D. D. D.

JOANNES DAVID MELBER.

Licet humores haud raro corrumpantur, ea ſemper corruptio eſt debilium vaſorum non ſatis illos permiſcentium ſeu diffundentium effectus, nunquam ipſa cauſae origo.

Io. Brvn'o. *Elementa Medicinae* p. 44.

Mediolani 1792.

§. 1.

Si quem ex hacce qualicunque tractatiuncula fructum exſpectare liceat, non aliter id, vt mihi quidem videtur, evenire poteſt, ac ſi a notione rei, quam tractare mihi propoſitum eſt, exordiar, et illuſtrando argumentum, quod continet, atque examinando eius valorem rationemque ad accuratiorem rei ipſius cognitionem pervenire tentare auſim.

§. 2.

Notio, quam ſibi plerumque *de febris putridae natura* quilibet fingit et animo informatam habet, minime dubia et anceps,

ſed nomine ipſo clara eſt: Typhus eſſe aſſumitur, a putredine quadam in corpore latente pendens, eaque ipſa productus, fotus atque ſuſtentatus *). Auctorum **) nonnulli, et inter hos praecipue veteres, alio nomine eam ſalutant, varieque ab iis dicitur *Synocha putris****); *febris maligna*; *putrida*; *carceralis*; *noſocomialis*; *continens putrida*; *contagioſa*; *typhus*, *typhus peſtilens* cet. eorum tamen opera, curatius inſpiciendo et comparando, apparet, minime eos de natura morbi putridi diſſentire, ſed ſanguinis potius putredinem eam habere, quae ſimpliciſſimam huius generis febrem producit, et quaſi genus conſtituit, quod deinde ſecundum reliqua corporis ſyſtemata plures alias ſub ſe, tanquam ſpecies, comprehendit, v. g. febrem putridam gaſtricam, febrem putridam nervoſam rel. Nos *de febre putrida pura* vel *ſimplici* tractabimus, quae, tanquam baſis, complicatas reliquas ſub ſe comprehendit, ideoque quidquid reſpectu natu-

*) J. Hvxham, Opera phyſic. medica Curant. Reichel, T. II. p. 94.

**) S. G. Vogels, *Handbuch der practiſchen Arzneywiſſenſchaft etc. 2te Ausgabe, 2ter Theil*, p. 1. *Stendal*, 1789.

***) E. G. Selle, Medicin. clinica p. 25. *6te Auflage, Berlin*, 1793.

naturae ac curationis de ea valet, de ſpeciebus quoque valere debere putamus.

§. 3.

Haec igitur putridi denominatio ſumta eſt a phaenomeno illo ſatis noto, quod omne organicum ens emortuum, elapſo quodam temporis ſpatio, in reſolutionem quamdam corporis vivi et amotionem compagis transferebatur, atque cum illo idem prorſus eſſe cenſebatur. Etenim non ſolum ex quibusdam ſignis putredinem imminere vel adeſſe crediderunt, ſed inter recentiores nonnulli praeterea per experimenta cum rebus re vera putreſcentibus inſtituta, efficaciſſima contra hunc morbum quaeſiverunt remedia, probabiliter cenſentes medicamenta verae putredini quam maxime reſiſtentia, ſi quando fuerint detecta, neceſſario etiam longe efficaciſſima ea contra hunc ſtatum habenda eſſe.

§. 4.

Dubia ergo et diſputationi ſubiecta notio putredinis fuit inde a Galeni *) temporibus ad noſtra vſque, neque ſibi ſatis conſtiterunt medici. Propterea coactus ſum ad

*) De Febr. putrid. Different.

ad *putredinis phaenomenon* ipſum retrogredi, vt breviter exponam, quo iure nos illud et huncce morbum pro vno eodemque ſtatu habere poſſimus, et quatenus leges a natura mortua deſumtae ad vivam commode transferri atque applicari queant. Quamvis in genere difficillimum ſit, putredinem, tanquam rem mere empiricam, ſatis clare definire, dum omnes circumſtantias, ſub quibus apparet, haud facile cognoſcamus, id tamen in genere de ea diſſerere affirmare et contendere licet, vltimam atque vniverſalem eſſe iſtam reſolutionem, a natura ipſa factam, et omnium rerum ſubſtantiis organicis poſt earum vegetationem, vel vitam peractam, fere propriam, nec vllo modo evitandam.

§. 5.

Nec res parvi momenti cenſeri debet, vti multis videtur, putredo in natura mortua adſit, nec ne, neque quod paullo difficilius explicatu exiſtimo, vtrum ambos eiusdem terminos, initium atque finem, ſolo intuitu agnoſcere datum ſit. Chemia hucvsque nulla in auxilium praeſidia attulit, quorum ope certo et infallibili modo quaevis alia ſolutio arte facta a primo eius initio, progreſſu atque fine a quolibet alio phaenomeno ſufficienter diſtingui poſſit. Odoris autem, nec non ſaporis ſenſus incerta nimis

ſigna

ſigna ſunt diagnoſtica, quam vt iis de ſtatu putrido rei cuiusdam certiores reddi poſſimus; Fermentatio vero, cuius vltimus plerumque eſſe dicitur gradus, non cum ea confundi debet, et iisdem praeterea, quod ad diagnoſin attinet, difficultatibus premitur. Reſolutio denique atque deſtructio partium conſtituentium intuitu ſolo cognoſcenda, certior quidem nota eſt diagnoſtica, ſed propter putredinem iam conſummatam difficultates ſupra relatas minime tollit.

§. 6.

Leges praeterea, ſub quibus putredinis poſſibilitas eſt reliqua, hucusque experimentis detegere ac invenire fuit conſilium, neque tamen ſatis luculenter cognovimus, ſub quibus rebus cicumſtantibus poſſibilis non ſit. Quatenus enim perſpectum et notum habeo, experimentis exceptione maioribus prorſum deſtituimur, quibus extra dubitationis aleam poſita ſit, an non abſoluto defectu aeris, caloris et quietis omnis putredo impoſſibilis fieri poſſit. Certe operae pretium eſſe cenſeo, talia experimenta ſine ira et partium ſtudio inſtituere, cum ſequelae haud proletariae exinde deduci queant.

§. 7.

Et nihilominus hucusque iſthoc phaenomenon, quod in partibus emortuis ſolum-

modo ſeſe manifeſtat, et certo probari poteſt, par habebatur ſtatui corporis animalis aegrotantis quidem, ſed vita non carentis, et etiamſi cum illis modo experimenta antiſepticornm inventorum gratia inſtitui fas eſſet, ea tamen in hoc quoque ſtatu accommodari poſſe putabatur. — Experimenta, quae quidem ad putredinis impediendae cognitionem in parte emortua per ſe certa ſunt et multum conferunt, eo minus in ſtatu vivo applicanda ſunt, quia noſtris diebus minime latet, remedia, etiamſi efficaciſſima, non ſemper talia reperiri, ac vice verſa: Praeterea in genere ſuperior ratio nos fugit, cur ea remedia tantam contra putredinem in fruſtulo carnis mortuae habeant efficacitatem, iu animante vivo minime, cum talis vis a viribus vitae adiuta longe facilius prodeſſe poſſe videbatur.

§. 8.

At magni, niſi omnis fallor, theoria viri clariſſimi F. C. Hofmanni cenſenda eſt, qui in toto ambitu operum ſuorum ſatis clare probare ſtuduit, maximam morborum partem contineri in corruptione, praeſertim in putredine humorum corporis animalis, habitumque corporis ſanum ſola particularum corruptarum perpetua remotione conſiſtere. Quae vt rite ac commode fiat, na-

turam

turam organa quaedam tributa curaſſe profitetur, quibus materiae peccantes expellantur. Dum ergo ſecundum eius ſententiam illi humores, quodam dato tempore, ſicuti omnes alii, ad corruptionem ſe vergunt, inevitabili neceſſitate penitus corrumperentur, niſi particulae iam corruptae dicto modo ab incorruptis ſe ſubriperent exitumque molirentur, hinc medicamenta ſolummodo contraria porrigit, illasque particulas meliores reddere aut oeconomiae corporis adimere ſtudet, et ſecundum imminentem corruptionis ſpeciem apta ei eſſe videntur, prudenter eligit. Et quoniam, experientia duce, duae corruptionis ſpecies dentur, aceſcendi ſcilicet et putreſcendi, remedia etiam experimentis ſimilibus, vni alterive corruptionis ſpeciei aptis, medicamenta iubet porrigi, quorum effectus reſpectu efficacitatis antea detectae iam prius, quam adhibeantur, aeſtimari queat.

§. 9.

Vltimum ergo vitae atque ſanitatis principium ſecundum hancce theoriam perpetuo nititur putredinis et corrnptionis humorum naſcendae ſtudio, quia ſolum melioratione particularum iam corruptarum earumque ex tota machina expulſione fieri poteſt. Lex ergo omnium ſuprema in omni cura eſto,

vt

vt corruptionem humorum, qui perpetuo omnes a natura in vnam alteramve inclinant, impediamus, particulas iam corruptas vel meliores faciamus, vel expellamus; Valetudo igitur ille humorum ſtatus eſt, in quo quidem ad putredinem et acorem inclinant, naturae autem mechanismo ſatis bene caventur.

§. 10.

Huic theoriae, quamquam ſimpliciſſima et clara eſſe videatur, magnae primum difficultates in agnoſcenda putredine ex ratiociniis ſupra dictis obſtant, deinde ſub notione cuiuslibet verae putredinis deſtructionem cogitamus partis, quam aggreſſa eſt, quae quidem paullum reſtringi ac refraenari ſub initio, ſoluta autem pars nullo remedio in priſtinum ſtatum reſtitui poteſt. Recentiorum nonnulli propterea eousque procedebant, vt contenderent, vitam et putredinem notiones eſſe ſibimet plane contrarias atque contradicentes, et quamdiu illa protraheretur, hanc plane non cogitari poſſe. Quanquam vero hanc theſin non prorſum ſuſtinere vellem, quoniam de quodam gradu putredinis, durante vita, aliquot partes totius machinae aggredientis, ſermo eſt, nec putredo in ſummo gradu et omnem compagem devaſtans intelligitur, id tamen omni dubitatione maius exemplum erit, animal

re-

re vera putreſcens non ideo in vitam rediturum eſſe, omnis quanquam ab illo auferri atque detrahi poſſit putredinis gradus. — Si deſtructionem omnem ex cogitatione deleam, an igitur iam vitam cogitare licet? —

§. 11.

Idcirco haec quaeſtio oritur, ſi verum eſſet humores corporis animalis perpetuo in corruptionem tendere, quae ſecundum naturam partium conſtitutivarum modo aceſcendo, modo putreſcendo ſeſe manifeſtat; ſi particulae iam corruptae per organa purgatoria a natura ad hunc ſcopum tributa perpetuo excernendae, et per alias recentes atque incorruptas, quas ſumimus, reſtituendae eſſent, ne collectio fiat particularum in corruptionem pronarum in aliquo corporis ſyſtemate, exindeque ſtatus, qui morboſus dicitur, oriatur, an igitur in haſce ſolummodo particulas corruptas nobis agendum eſſe credamus, vel recte aſſumamus ſalutem corporis ſolum in earum expulſione conſiſtere? Non datur indicatio curativa hacce ſuperior? Cauſa certe, cur illae particulae in corruptionem ruebant, ideo non tollitur, ſi has meliores faciam aut ex corporis oeconomia auferam. Quam diu ea adeſt, aliae inde iterum regenerantur, donec ablata ea, ſtatus redeat, in quo tales amplius produci naturae viribus impediebatur.

tur. Virium cognitio ergo, quarum ope hoc malum avertitur, ſeu quae eo valent, ne putredo oriatur, maioris momenti eſſet, ac ſcire, quomodo putredo, quae iam adeſt, apte infringenda ſit.

§. 12.

Inter recentiores nemo huic petitioni, quantum mihi quidem notum eſt, ſatisfecit, praeter BRVNONEM. Qui in ſyſtemate ſuo varie diiudicato et male intellecto omne auxilium in gradum virium vitae requiſitum et ſtatui vnicuique corporis praeſenti appoſitum, tanquam in ſupremum omnis curae atque vltimum momentum, reducere ſtuduit, vires facultate intrinſecus et extrinſecus, durante vita, activas reddi poſſe, vt pari paſſu procedant, et per ſe iam requiſito modo agendo ſufficiant, et totam machinam in ſtatu, quem ſanum dicimus, ſervent profeſſus. Neque corruptionem plane in corpore animali abnegat, ſed potius concedit humores in vaſculis minimis et excernentibus meatibus contentos nonnunquam corrumpi. Quod autem vt impediatur, non directe in hos humores agit, ſufficere exiſtimans, vt hiſce vaſculis eum gradum energiae, qui requiritur, reparemus: Quo facto, viribus motricibus propriis humores malum et intus contentum expulſum iri contendit.

§. 13.

§. 13.

Quantum autem HOFMANNVS et BRVNO diverſi ſint reſpectu deducendae originis atque auxilii requirendi, magis tamen, quam credi poſſit, ſcopo, quem vterque in curatione attingere ſtudet, conveniunt, imo in eligendis remediis, quanquam de eorum modo medendi plane contrariam habeant opinionem, vtrumque ſibi approximare videmus. Ille humorum corruptionem primam credit cauſſam eſſe mali, hanc igitur reſtringere, particulasque iam corruptas per canales a natura ad hunc ſcopum datos educere iubet, hic effectum habet corruptionem cauſſae praegreſſae, vis naturae ſcilicet vaſorum illos ſecernentium et continentium vitioſe agentis, et dum huic gradum energiae convenientem per remedia experientia probata tribuere curat, ſimilem meliorationem efficit, non quidem, tanquam ſcopum primarium, ſed qua talem, qui huic ſubordinatus eſt, et neceſſaria connexione atque ſequela cum eo copulatur.

§. 14.

Alius magni habendus*) auctor in excellentiſſimo opere ideam putredinis in corpore

*) FRANK, De curandis homin. morbis, Lib. I. p. 115. Manhemii, 1792.

pore vivo, et praecipue in hoc morbo obverſantis prorſum adimere ſtuduit, aſſumendo, ſyſtema nervoſum eſſe, quod ſolum originis cauſſam porrigat, poſſibilitatem quidem putredinis in machina viva non plane abnegat, locum vero an vnquam habeat, dubius haeret. Nomen igitur *putridi* plane aufert, illudque *nervoſi* ſubſtituit, quod febris ſpeciei hucusque ſemper a putrida vel prorſum diverſae habitae κατ' ἐξοχὴν attribuere ſolebant. Haec denominatio quamvis alteri, ſemota falſa putridi notione, praeferenda eſſe videatur, in genere tamen reiicienda eſt, quia vni ſolum morbi ſpeciei praerogativae inſtar attribuit, quod toti competit generi, atque nullus in genere dari poteſt morbus, qui ſenſu ſtricto nervoſus non eſſet. Cum enim omni quaque mutatione corporis totius vel partis alicuius genus proprie ſit nervoſum, quod afficitur, quia absque illo nulla plane ſenſatio ſtatus alicuius exiſteret, hic, qualiſcunque ſit, ſemper nervoſus erit.

§. 15.

Haec de huius morbi natura in genere ſufficiant. Symptomata nunc afferam, quae eum conſtituere creduntur, et vbi putredo ſanguini inhaerere aſſumitur, vt breviter diſquiram, putrida magis, alia cauſſa (a qua, tanquam fonte communi, omnia pendeant) derivanda ſint.

§. 16.

§. 16.

Characteriſtica ſigna, quae hunc morbum comitantur, eumque ab aliis diſcernunt, comparatis nonnullis auctoribus de eo tractantibus, ſunt ſequentia, rigores in principio ſi adſunt, fortes ſunt, nonnunquam fortiſſimi, aeſtus ſolito maior ac permanens, ſaepe manifeſte acer digitosque vrens, ſiccus, in principio tamen ſubitaneus, tranſiens et remittens, pulſus plerumque debilis, parvus, frequens, aliquando lentus, et per aliquod tempus aequalis, tunc vero tremulus et inaequalis, ſpiritus plerumque non ſine labore quodam trahitur, et cum ſoni et anhelationis ſpecie intercipitur, virium languor, laſſitudo, debilitas atque virium proſtratio, quae mirum ſaepiſſime in modum ſubito increſcunt, cum anorexia, ore ſicco vel mucoſo, cum nauſea, vomituritione et vomitu ipſo, capitis gravitate, obnubilatione, dolore, animi moerore, vel ſtupida ad quaevis indifferentia. Cutis interdum ſicca eſt, interdum continuus et viſcidus ſudor illam macerat, et iam primis morbi initiis varia exanthemata, peticulare, miliare etc. vbertim comparent. Lingua, quae in principio alba erat, quotidie fit paullo nigrior et aridior, interdum tamen naturaliter conſtituta madet, tenui flaveſcente muco oblinita. Sitis in febris incremento plerumque eſt ingens, ac vix nonnunquam

exſtingui poteſt, nihilo minus nullum fere liquidorum, niſi vinum, quod plures auxie appetunt, placet. Sordibus valde nigris tenacibus obducuntur labra atque dentes. Oculi ſemper admodum triſtes ſunt, et haud raro aliquo modo rubeſcunt, vrinae inaequales, nunc crudae et aquoſae; nunc flammeae, rubeſcentes, nunc bruneae, craſſae, furfuraceae, nunc cum nubecula in medio ſuſpenſa, alvi deiectiones, in primis verſus febris incrementum aut in eius declinatione, maximam partem intolerabiliter foetent, interdum ſanguis copioſus per nares aliasque vias diſſolutus prorumpit, aut vibices, lividaeque cutis maculae comparent, interdum, praegreſſo violentiſſimo ad hanc vel illam corporis partem dolore, poſt paucas horas rubedo, livedo, gangraena ſphacelusque in conſpectum prodit. Pulſus exiliſſimi, celerrimi, item convulſiones, ſcenam fere claudunt.

§. 17.

Putridam huius febris cauſam eſſe hucusque ex eo concludebatur, quod, dum anima, ſudor aliique humores, male oleant, ſanguinis diſſolutionem, quae putredine fieret, indicare; dein ex conſueto celeriori cadaverum in putredinem tranſitu hoc morbo confectorum, certum argumentum putredinem non poſt mortem primum incepiſſe exiſtimabatur. Sanguis e vena emiſſus et diſſo-

diſſolutus, nec in coagulum coactus, item frequenter apparentes haemorrhagiae et exanthemata, eamdem cauſam agnoſcere aſſumebatur. Poſtremum a corticis peruviani aliorumque antiſepticorum in hoc morbo virtute non minus illam rationem deduxerunt, quoniam experimentis cum carne mortua inſtitutis remedium putredini quam maxime reſiſtens eſſe cognoverant.

§. 18.

At eo minus malum humorum excretorum odorem argumentum eſſe aſſeremus putridae huius morbi indolis, quum pedum et axillarum ſudor, nec non anima quorundam, cecterum ſaniſſimorum hominum non minorem ſpargat foetorem, et odor ſignum praeſentis putredinis, vti ſupra iam monui, quam maxime incertum dicendum ſit. Cadavera hoc morbo defunctorum putredine citius, quam alia inſici, eaque conſumi minime probat putredinem vniverſalem iam in ſtatu vivo incepiſſe. Corticis peruviani ad carnis mortuae putredinem impediendam, nec non ad hunc morbum avertendum virtus omnino concedenda eſt, verum enim vero non eadem ex ratione eodemque modo tantam oſtendit praeſtantiam, quoniam et alcalina volatilia, canthariides et alia eius modi maiora illo adhuc antiſeptica eſſe deberent, quod minime per experientiam probatur.

Pari ratione a ſanguine ſub hoc ſtatu vena emiſſo naturali magis ſoluto de putrida morbi natura argumentum ſumſerunt. Hoc enim ſignum, ſi vni huic morbo proprium eſſet, vel ſemper et ſine exceptione illum comitaretur, cum tamen, ſecundum Ill. Frank aliorumque virorum ſummopere colendorum obſervationes, ſanguis in morbis vehementer inflammatoriis brevi intervallo iisdemque circumſtantiis vena emiſſus, nunc cruſta inflammatoria coopertus, nunc, niſi haec plane abeſt, diverſa tamen priori conſiſtentia et colore appareat, absque tamen mali inde naturae vel indicationum minima mutatione *), quoniam lymphae coagulabilis incraſſatio a circumſtantiis pendet non ſatis hucusque notis, et in febre ſic dicta putrida contrario modo plus minus ſolutus vel ea cruſta coopertus ſit **), tamen id, quod volunt, hinc probari nequit, aut poteſtatem tribuere nobis licet, remedia humores incraſſantia porrigendi. Maior enim ſanguinis fluiditas, aut reactione vaſorum in fluida imminuta, exindeque humorum in ſtatu ſano e corpore vaſorum exhalantium energia excernendorum retentione, aut deficiente

te

*) J. P. Frank, De curandis hominum morbis. Tom. II. p. 160.

**) Ibid. Tom. I. p. 136. et Tom. II. p. 142.

te virium vitalium actione tantum oriatur, ſecundaria tamen ſemper eſt, quae per ſe morbum non conſtituit, nec quanquam auferri poſſet, mali cauſſam tollit, ideoque ad humorum meliorationem omnis indicatio dirigenda eſt.

§. 19.

Quam primum huius morbi natura putrida aſſumitur, curae indicationes ſine diſſicultate inveniri poſſunt. Licet enim contenta putrida et humores ſecreti e corpore eliminare adſtringentibus et compingentibus remediis ſanguinem incraſſare, ſolidaque roborare, id eſt, relaxationem putredine factam tollere, et ſpasmos acrimonia putrida factos ſolvere. Hoc vero totum curationis momentum amplectebatur. Primo igitur morbi ingreſſu evacuantia, deinde acida aliaque antiſeptica, quo et nonnulla aromata pertinent, adhibita totum medicaminum apparatum conſtituebant. Medici ſaltem, qui illam ſibi ſingunt notionem, nulla alia remedia, nulloque alio conſilio in auxilium vocant, vti ex eorum operibus clare apparet *).

*) J. Hvxham Opera phyſic. medica. Curant. Reichel, Tom. II. p. 109. 117. 119.

S. G. Vogels, *Handbuch der practiſchen Arzneywiſſenſchaft*, 2ter Theil, p. 29. 40. 42.

§. 20.

Ex horum autem ſymptomatum comparatione atque disquiſitione apparere potius mihi videtur, ea quanquam in tam variis partibus ac multifario modo ſeſe manifeſtent, effectus tamen cenſeri debere vnius per totum corpus diffuſae cauſae, vel perturbationes functionum vitae a *debilitate*, tanquam principio vniverſali, deducendas.

§. 21.

Quae dum profiteor, ad eam conſiderationem, quid ſub debilitate intelligam, deducor. Hoc vero, quam breviſſime potero, faciam, cum tam rei difficultates, quam arcti libelli limites prohibeant, quo minus latius exſpatiari poſſim.

§. 22.

Si corpus quoddam animale, quod vivum dicitur, paullo attentius adſpicimus, illud ab omni alio mortuo ſeu vita carente in eo diverſum eſſe videmus, quod ab aliis rebus afficiatur, et vitae actiones plerumque in motu conſiſtentes efferantur. Hae actiones nos eo adigunt, vt facultatem tales res percipiendi in corpore praeexiſtere, eamque poſt perceptam in illo mutationem quandam manifeſtare aſſumamus.

§. 23.

§. 23.

Haec corporis animalis vivi facultas iamdudum cognita, variis ſecundum varias medicinae periodos denominationibus ſalutabatur. Noſtris diebus percipiendi facultatem in genere fere ab omnibus auctoribus nervis attribuebatur, atque *ſenſibilitas* dicebatur, muſculis autem ea, quae motus producit, *irritabilitas* nuncupabatur, res denique, quae actionem ipſam producunt, ſtimuli.

§. 24.

Multum interea diſceptatum eſt inter auctores, quaenam harum facultatum, quas diverſas plane inter ſe crediderunt, ab altera magis penderet, irritabilitas a ſenſibilitate, an haec ab illa. — Argumenta pro vtraque ſententia aequali ſubtilitate in medium prolata, hucusque hac de re decernere aliquid non permittunt. Quae demum cunque a vero propior opinio ſit, nihil tamen hac diſquiſitione mutatur. Sententia enim eorum vero ſimilior ordinisque naturae analogia deducta mihi videtur, qui contendunt, ſenſibilitatem atque irritabilitatem ab vna modo facultate primaria, id eſt, Brvnonis incitabilitate, pendere, cuius effectus ſecundum variam organiſationem diverſarum partium varias ſubit modificationes, in muſculorum fibrillis, tanquam irritabilitas, in

nervis, qua ſenſibilitas ſeſe manifeſtans, per omnes vivi corporis partes diffuſa, vna ac indiviſibilis, quaque abſente, nulla plane cogitari poteſt vitalitas *). —

Hac facultate, omni enti vivere incipienti quodam gradu tributa, omnes perficiuntur, vitae functiones eaque ſola cauſſa eſt, quod corpus animale vivum non, vti mortuum, phyſico-chemicis legibus ſubiectum ſit. Leges igitur ex chemiae doctrina atque comparatione mutuae inter ſe actionis entium, quae vita carent, quibus quoque putredinis illae adnumerandae, minime in corpus vivum applicabiles ſunt, dum phaenomena, quae alias producunt, in corpore vivente, niſi prorſum alienata, tamen huius vis vitalis influxu admodum ſatis mutata apparent.

§. 25.

Quod ſi autem conceditur, vnam hanc facultatem omnis vitae principium in ſe continere, concedendum quoque erit, duas modo idcirco a ſanitatis conficiendae requiſito gradu aberrationes aſſumendas eſſe. Vna eſt, ſi nimis fortiter agentibus cauſis occaſionalibus, quas ſtimulos, (poteſtates imi-

*) J. Brvnonis, Elementa medicin. p. 3. J. H. Varnhagen, Diſſertat. philoſophic. medic. ſiſtens quaedam quaeſtiones phyſiologicas, Jenae, 1794.

imitantes) dicimus nimis vehementer in vitae functionibus ſeſe monſtrat, et quodam temporis ſpatio exhauritur, altera, ſi inopia talium ſtimulorum applicatorum non amplius, tanquam vis agens, ſe manifeſtat et langueſcit. In caſu poſteriori ſtatus morboſus a deficiente ſtimulorum copia vel gradu, in priori a iuſto maiori ſeu vehementiori ortum ſumit.

§. 26.

Vtrum re vera omnes ſine exceptione morbi in hiſce duabus formis conſiſtant, ad hanc disquiſitionem non pertinet. Hoc vnum ſufficit, morbum, quem nos tractamus, ad claſſem pertinere, vbi a ſtimulis vires vitales excitantibus recto modo applicandis ſolum, omne, quod poſſibile eſt, auxilium exſpectandum eſt. Namque facultas haec, ad vitam adeo neceſſaria, vel nimis parce applicatis ſtimulis in languoris ſtatum — debilitatem rectam — tranſierit, vel eorum exceſſu — debilitas indirecta — imminuta ſit, in priori caſu remedia, quae activam illam reddunt, in hoc, quae ſuperſtitem adhuc ſuſtinent, in vtroque ſtimulantia requirit, eo tamen diſcrimine, quod illic a debilioribus incipiendum et paulatim ad fortiora transgrediendum ſit, hic autem primum fortiora et decreſcente gradu ſenſim debiliora adhibenda ſint.

§. 27.

Debilitas autem iſta tam ex aegroto ipſo de ea conquerente, quam ex functionum omnium vel plurimarum vitae perturbatione, concludi et aeſtimari poteſt. Nihilominus ex ſymptomatum ſola perſcrutatione nunquam de mali natura concludere licet, ſed noxarum excitantium (cauſarum praegreſſarum) ſemper habenda ratio eſt, tanquam ſit omnis diagnoſeos praecipuum momentum. Debilitantes in hoc morbo omnes ſunt, iuſto minorem vbique vivi corporis incitationem, omnes actiones imminuentes, aliquas perturbantes, quasdam augentes, ſed ſemper falſam ſpeciem praebentes.

In ſyſtemate arterioſo et cordis ex pulſibus, qui id circo parvi, debiles adeoque frequentes ſunt, quia incitabilitas vel poteſtate eius incitante, ſanguine, non ſufficienter affecta indeque accumulata, in debilitatem rectam incidit, vel nimio et nimis longe protracto ſtimulo quaſi ſuppreſſa, in indirectam ruit. Reſpiratio, ſanguinis circulatione arctis tam vinculis connexa, tam propter hoc, quam etiam ob muſculorum eam perficientium debilitatem, anxia, ſuſpirioſa et difficilis eſt.

In ſyſtemate organorum digeſtionis, ex anorexia, nauſea, vomitu etc. A ventriculi fibrarum imminuta vel perturbata

ſum-

ſumptis cibis actione, vt ab humoris ventriculi propter vaſorum exhalantium debilitatem non ſufficienti aut ſat magna, morboſe autem ſecreti copia omnia haec ſymptomata producuntur. Copia ingeſtorum reſpectu virium digerentium nimia, indigeſtionem, qua praeſente, non aliorum appetitus, ſed potius anorexia et nauſea oritur; corruptio, in quam tandem abit, ſtimulum praeter naturalem gignit, quem motus aeque praeter naturalis ſurſum ſcilicet, vomitus, ſequitur.

In ſyſtemate vaſorum exhalantium cognoſcitur ex ſiti; cute ſicca; imminuto oculorum ſplendore; pallore vniverſali, et praeſertim labiorum. Vaſa nimis debilia ſunt, vt humores ad vltimos vsque fines propellant; vel contrario omni contractione in extrema debilitate carent, quo et contraria, id eſt, ſudores, diarrhoeae colliquativae, haemorrhagiae cet. oriuntur.

Non minus *in ſyſtemate actionum mentis* perturbationes a nervis facultate animi adeo connexis debilitatis pendent, hinc capitis obnubilatio, moeror, ſtupor, puſillanimitas a ſenſuum organis debilitate converſis, quo falſarum idearum origo deducenda eſt. Secretiones in tali debilitatis vniverſalis ſtatu mutari, ſecretosque humores a naturali conditione aberrare; bilem acrem,

viri-

viridem vel etiam nigram fieri poſſe, in confeſſo eſt, neque vero magis inde habenda hujus febris cauſa eſt, quam quisque alius humor ſecretus, et magnam in genere ſymptomatum inconſtantiam; nonnunquam contradictionem in iis apparentem obſervari, ex eo clarum fit, quod totum ſyſtema nervoſum principium vitae ipſum patitur.

§. 28.

Ad *complicationes* huius morbi quod attinet, de quibus omnes auctores differunt, liceat mihi aliquantum hac in re inſiſtere, et de generaliori ad ſpecialiorem eius conſiderationem pervenire. — Cum certam ſymptomatum copiam complecti vnoque vocabulo denotari ſolitum ſit, *complicatio* dicitur, ſi praeter conſueta, quibus quidam conſiſtit morbus, alia adhuc comparent inconſueta, quae nec huic morbo adnumerari, nec notione generali ſubſumi poſſe creduntur. Dum enim temporibus iam antiquis obſervatum fuerit, quaedam ſymptomata frequenter coniunctim apparere, in notionem redacta generalem, vno ſolo nomine, notionis ſymbolo omnis omnium ſymptomatum complexus denotabatur. Commodiſſimum quamquam hoc fuerit, absque ſymptomatum enarratione, de morbo ideam, quo aliquis laboraret, vnico ſaepe vocabulo porrigere, id tamen incommodum inde oriri

potuiſ-

potuiſſe nonnulli crediderunt, morbi cuiusdam naturam anguſtis adeo limitibus conſtitutam eſſe, vt nunquam minima formae eius mutatio apparere poſſit, quae non morbi faceret complicationem, non ab eadem, vt reliqua ſymptomata, cauſſa penderet, nec eamdem curae methodum vel regimen requireret. Non in omni fortaſſe morbo aliquid gaſtrici viſum, nec methodus antigaſtrica vnquam talem, quem noſtris diebus habuit, ambitum aſſecuta eſſet, ſi ſymptomata cuiusdam morbi non vnice poſſibilia, a conſenſu orta, non aliena, ad morbum non pertinentia, longe alio modo tractanda, cenſa fuiſſent.

§. 29.

Tales dari complicationes huius morbi, quo debilitas per totum corpus diffuſa eſt, in dubium vocari nequit, an vero indicationes inde mutentur, alia res eſt. Si complicatio gaſtrica omnino omnium auctorum obſervatione animadvertitur, vel quod a ciborum in ventriculo indigeſtorum mole in corruptionem transgreſſa, vel a ſolo inter illum omnesque fere alias corporis partes nervorum conſenſu ortum ducat. Ceſſaret autem aut plane non orta eſſet, ſi in caſu priori ventriculus ad ciborum ingeſtorum concoctionem ſufficiente vigore praeditus fuiſſet, aut in poſteriori omnium partium

inter ſe exiſtente ſympathia, praedominante debilitate, in hunc morbum non incidiſſet. Tertius igitur ſolummodo caſus curativam indicationem aliquantum mutare poſſe videtur, nimirum ſi a contagio ad huius morbi generationem apto oriebatur*). Haec enim contagia, quorum natura ignoratur, adeo vehementer nervos irritant, vt nulla aetas, nullus ſexus, adverſus ea ſatis tutus ſit, et incaſſum omnia remedia topica roborantia ſubigendi cauſſa adhibeantur. Cum venenorum inſtar agant, optimum artis conſilium eſt breviſſima via et methodo minus debilitante, per evacuantia ex corpore eliminare, et exhauſtae ventriculi irritabilitati roborantibus poſtea ſuccurrere.

§. 30.

*) L. B. eo minus mirabitur, cauſarum huius morbi omnium accuratam enarrationem a me ſilentio praeteritam eſſe, quod in omni medicinae compendio admodum ſatis fuſe remotae nec non proximae deſcriptae inveniuntur, febris autem putridae ſ. d. generaliora tantummodo, non hiſtoriam tradere meum fuit conſilium. Cauſae generales ſunt 1) Contagia. 2) Diatheſis phlogiſticae (ſthenicae) extremum. 3) Omnia recte debilitantia, v. g. alimentorum, item aliorum omnium ſtimulorum, vt potionis validae, caloris, aeris puri etc., vt ſive mentis, ſive corporis exercitationis defectus, et ſanguinis penuria.

§. 30.

An vero vnquam ſtatus vere inflammatorius cum hoc complicatus in conſpectum veniat, non liquet, et ſi huius complicationis auctores plerumque mentionem faciant, iure, vt mihi quidem videtur, in dubium vocatur. Vnum alterumve enim ſtatum neceſſario praecedere debere, vero ſimilius eſt. Quod vtrum a difficultate ſatis magna ſtatum inflammatorium a contrario dignoſcendi, an ab alterius in alterum celeri nonnunquam transgreſſu non ſufficienter forſitan hucusque obſervata evenerit, anceps et dubius haereo. Animo certe non concipitur, quomodo ſtatus directe oppoſiti ſimul locum habere queant, et nullus revera peior, ſi unquam, eveniret, exiſtere poſſet, quoniam morbus eiusque complicatio curam et regimen directe oppoſitum requirerent. — Proditum quidem eſt memoriae, peſtem, febris putridae maligniſſimam ſpeciem, nonnunquam naturam morbi inflammatorii aſſumſiſſe, et venaſectionibus ipſis curatam eſſe. At cum vaga peſtis notione, ſymptomata febris vere inflammatoriae peſtis contagii ſtimulo in corpore robuſto producta, cuius incitabilitas non tam ſubito exhauritur, remediis illis auferri potuerunt, absque putridi ſic dicti ſtatus cum vere inflammatorii complicatione.

§. 31.

Interea tamen inflammationes locales in hoc morbo minime rarae ſunt. Hae autem non, vti verae, conſiderandae ſunt, ſed a vaſculis minimis in cauſam vniverſalem extreme debilitatis, ſanguineque, ablata reſiſtentia, recepto producuntur. Non igitur debilitantibus remediis iurandae videntur, ſed ſtimulantia potius requiruntur, vt ſanguis per varia iſta magis magisque diffundatur.

§. 32.

Si igitur nec ſymptomatum natura, vti ſupra vidimus, quibus febris haec ſeſe manifeſtat, nec humorum ex tota maſſa, hoc ſtatu praeſente, detractorum mutatione, neque quadam remediorum ſimilitudine, quae experientia tam contra putredinem, quam contra hunc morbum invenit, certitudine argumentari poteſt, vnam eamdemque in vtroque caſu cauſſam ſubeſſe, apparet, aliam quoque atque diverſam in iſto eſſe debere tractandi indicationem. Diverſae enim plane leges in corpore vivo exſtant ab illis, quae mortuum regunt, dum chemica principia atque remedia per chemiam, quae in mortuis modo rebus verſatur, detecta in hoc ſolummodo applicanda ſunt, in vivo autem vires modo vitales omnia efficiunt, omnisque eius ſtatus, qualiscunque ſit, ab his pendet atque regitur. Totum igitur

in

in hoc morbo curationis momentum ſimplicius eſt, et ex pluribus indicationibus, quibus antehac ſatisfieri debere cenſebatur, vna ſola fit.

§. 33.

Neque enim indicatio eſt partium ab putredine imminentem ſolutionem compingentibus atque adſtringentibus remediis infringendi, nec ſpasmos particularum putridarum, ab ingente in minima vaſcula agente ſtimulo ortos, quo fortius adhuc includi atque maiorem putredinis gradum acquirere creduntur, ſolvendi, ſed vnica tantum eſt vires vitales erigendi, et per vehementiſſima quidem ſtimulantia, gradu decreſcente, vbi nimia et extorta quaſi actione infractae ſunt, debiliora autem eaque ſenſim ſenſimque fortiora, vbi per ſtimulos nimis parce applicatos in inertiam inciderunt. Partium reſolutio et ſpasmi hoc modo reapſe praecaventur, et hac ſola indicatione omne id comprehenditur. Impedito virium vitalium in ſolidis languore, ſolutio non timenda eſt, ſpasmi vel a particulis revera corruptis, vel a ſola debilitate pendentes, per ſe ceſſabunt, ſi modo energia, quae vaſculis convenit, reſtituitur: Qua reſtituta, particulas nocentes propriis viribus expellere valebunt.

§. 34.

Hoc reſpectu remedia, quae per experientiam clarorum virorum principalia

in hoc morbo habentur, quam breviſſime recenſebo, vt videamus, an maior minorve eorum virtus ſecundum noſtram doctrinam explicari poſſit, et an experientia in genere eo conveniat; remedium, vires vitales omnium efficaciſſime extollens, habita ratione ſtatus praeſentis, ſimul et optimum haberi debere, ſeu vti alii volunt, quam maxime eſſe antiſepticum.

§. 35.

Quod ad *aërem* attinet, quem ab aegro inſpirari ſuadent, omnes fere ſine exceptione in eo conſentiunt obſervatores, purum et frigidiuſculum, imo frigidum longe optimum eſſe. Quae requiſita mali naturae prae caeteris convenire videntur, vel quod ſecundum multorum veterum opinionem aſſumamus, talem praecipue ad particulas ab aegro exhalatas et corruptas recipiendas aptum eſſe, vel ſecundum nonnullorum recentiorum ſententiam maiorem aut minorem puritatis eius gradum a maiori aut minori principii in eo contenti (oxygenii) copia derivemus, quod illorum obſervatione ad vitae conſervationem quam maxime neceſſarium, et ex cuius per aliquot tempus parciori corpori admixtione indeque imminuta irritabilitate morborum analogorum, v. c. ſcorbuti originem petunt; vel denique ſecundum Brvnonis principia aërem puriorem altero maius imitans remedium exiſtimemus, quo incitabilitas

litas magis afficiatur et extollatur. — Caſus, quos auctor de reliquo fide digniſſimus memoriae prodidit, vbi aerem impurum puriori magis aegrotis conduxiſſe aſſerit*), obſervationibus tantorum aliorum contrarium proferentium non opponendi ſuut, quoniam alia ſimul feliciter adhibita remedia aliaeque circumſtantiae coniunctim forſitan effecerunt id, quod aeri ſolum adſcribitur.

An aer puriſſimus (vitalis) aegro magis adhuc conduceret, vti ſecundum ea quae ſupra memoravi de eius agendi modo, probabile eſt, experientia, quantum notum habeo, non ſatis exploratum eſt. Contra BRVNONEM admoneri nequit, frigus bonum praebere effectum, cum ab illo remediis debilitantibus adnumeretur. Nimium enim calorem, qui non minus, ac frigus debilitans eſt, in his frebribus diminui oportere, id eſt, ad naturalem magis calorem reduci, conſilium primum eſt.

§. 36.

Acida tam vegetabilia, quam mineralia a veteribus non ſolum, ſed a recentioribus etiam auctoribus in febrium harum ſpecie adeo laudata, eo magis omnem attentionem merentur, cum eorum vſui a novi ſyſtematis ſectatoribus, ſatis anguſti limites ſtatuantur. Illi pro certo et conceſſo ſtatuentes,

*) CHR. G. SELLE, Medicina clinica p. 25.

mali caussam in humorum putrida dissolutione et solidarum partium relaxatione haerere, magnum in iis reperiri credunt remedium fluida inspissandi, solidaque condensandi, dum hunc eorum in exanimata agendi modum ad corpus vivum transferunt, et principali inde indicationi se satisfecisse arbitrantur. „Sic enim Cel. HUXHAM *) nihilominus, inquit, id in genere est annotandum, quod, cum sanguis reliquique humores in febribus pestilentialibus et petechialibus ad dissolutionem, stagnationem ac putredinem inclinent, talis methodus, quae vim vasorum contrahentem tuetur, et putredinis progressum avertit, sit necessaria: vegetabilia, et quoque mineralia, convenientem in modum praeparata acida huic consilio maxime inserviunt.“ Hi corruptionem in vivis quidem concedentes, causam autem primariam esse negantes, nulla contra eam remedia adhibent, et cum de efficacibus modo incitantibus auxilium sibi polliceantur, acida in genere, qua talia, nimis debilia censent, validioraque adhibent, quae inferius considerabimus. Nunc quidem verum est, ab omnibus fere iam antea concessum, acida irritabilitatem diminuere, et si vis eorum antiseptica nihil valeret, facile credendum esset, detrimentum potius, quam fructum ab iis exspectari posse.

At

*) Vid. Opera physico-medic. Tom. II. p. 114.

At tantorum virorum experientia, qui emolumentum ab eorum vſu tractum teſtantur, me impedit, quo minus eorum in hac febre virtutem denegem, vti et in ephemeridibus recentium obſervatorum notatae absque omni acido quam maxime feliciter curatorum hiſtoriae de eorum in febre ſic dicta putrida virtute me quaſi dubium relinquunt.

§. 37.

Sales alkalini, et praeſertim *volatiles*, pridem a medicis nocivi magis et ſuſpecti, quam vtiles exiſtimabantur. Sic enim HVXHAM *) alio loco. „Salium, inquit, atque ſpirituum alkalino-volatilium vſum valde eſſe periculoſum, pro certo habeo, cum ea procul dubio ſtatum humorum putreſcentem augeant, eosque, vt plura irritamenta, ad citiorem incitent deſtructionem.“ A theſi progrediendo, putredinem humorum mali cauſſam conſtituere, experientia de alkalinorum, ſi parva doſi animali ſubſtantiae mortuae admiſcentur, putredinem augente vi, ad vivum corpus translata, non aliud ratiocinium de remedio exſpectandum eſt, quod hodie pluris habetur pretii, et medici maximo fructu in hoc morbo variis formis adhibere didicerunt. Miratu dignum eſt auctorem quemdam, vbique putredinem inculpantem, vimque ſepticam ſalium alkalinorum per ex-

*) Ibid. Tom. II. p. 114.

perimenta demonſtrantem, illud in eodem morbo, neſcio, qua ratione, magnis extuliſſe laudibus, et aliis medicaminibus anteposuiſſe *).

§. 38.

Nonnulli *frigus*, et quidem *nive* et *gelu* confectum, remedium dixerunt praeſtantiſſimum, quod in peſte ipſa, cuius vaga et aequivoca adeo notio eſt, quam maxime conduxerit. Hunc frigoris bonum effectum hucusque per vim eius conſtringentem ac ſolutionem impedientem, roborantem explicarunt. Cum autem haec vis a novi ſyſtematis auctore validis argumentis in dubium vocetur, frigusque debilitans remedium dicatur, perquam credibile eſt, illud egregium ſe praeſtitiſſe remedium, quod fervorem in hoc morbo, vti notum eſt, eximium diminuat, eoque modo, vt negativum, agat. Vtrum frigus roboret, an debilitet, validis ratiociniis in vtramque partem diſceptatur, et lis ſub iudice adhuc eſſe contenditur. Quod ſi gradus frigoris aut caloris ſemper mentio fieret, dum, vtrum roboret, an debilitet, adhuc diſceptatur, conciliatum iri diſſenſum ſperandum eſſet. Si cum Brvnone aſſeramus, calorem ſtimulum eſſe, nullam absque ſtimulo exiſtere vitae actionem, nullamve vitam, frigus, tanquam caloris negativum,

*) J. Pringle *Beobachtungen über die Krankheiten der Armee etc.*

tivum, nihil aliud, niſi frigefacientem aſſumere materiem malimus, (quam veteres ſomniabant) ac remedium non ſtimulans, vitae actiones non excitans, itaque debilitans exiſtimare cogimur.

§. 39.

Opium medicamentis hic nominandis plane non adnumeraretur, niſi inter remedia longe alium locum (inter potiora ſcilicet, vti notum eſt, ſtimulantia) Brvno illi tribuiſſet; eiusque ſectatores in hoc morbo maximo cum emolumento vti in aliis, quos a debilitate ortos credunt, illud applicuiſſe teſtarentur. Res medicinae non ignaro ſatis nota eſt, de nullo fere alio remedio tantas de eius effectu varias opiniones exſtitiſſe atque prolatas fuiſſe. At idcirco, quod tantorum virorum opiniones ſaepiſſime adeo inter ſe diverſae fuerint ſibique ipſis contradixerint, ſuſpicandum erat, nos verum huius medicaminis effectum parum in genere cognitum habere. Nam vti veterum medicorum nonnulli opium in calidorum remediorum numerum receperunt, tales quoque non deerant, qui frigidis illud adnumeraverunt; ad huc modum ſatis ingenioſe inter recentiores auctor quidam probare ſuſcepit *), vnicum eius effectum in eo conſiſtere, vt ſenſibilitatem irritabilitatem que totius corporis

*) F. C. Hofmann, *Abhandlung vom* Opium. *In deſſen vermiſchten Schriften.*

ris imminuat atque deſtruat. Alius *) exiſtimabat, irritabilitatem ſolummodo inteſtinorum eo remedio deleri, cordis vero vim augeri, cui tamen experimenta a Rob. Whytt et F. C. Hofmanno inſtituta repugnant. Rurſus alii obſervatores, quo et auctor hodiernus pertinet, ſe duas prorſus diverſas in eo facultates, calefaciendi ſcilicet et refrigerandi, ſeu ſedantem et ſtimulantem ſimul animadvertiſſe contenderunt, qua de opinione Cel. Tralles iam ſatis copioſe dixit **): „Eapropter quidam boni viri non erubuerunt publice profiteri, ſimul et frigidum, et calidum, haberi debere opium. — Lepide ſane! Miror ego, curnon tepidum." — Quantum autem novi ſyſtematis auctor ab omnibus, quod ad opii vſum attinet, diſtare videatur, ex veterum iam operibus cognoſcendum, non ſemper ſedans, anodynum, antiſpaſticum exiſtimatum fuiſſe, Sic Cel. Tralles ***): „Facile vero, ait, inducor, quando exiguam doſin opii aequipollere video largioribus hauſtibus vini, vt credam cum Ill. Hallero, opium non alia ratione agere in corpus, quam qua in illud operatur alcohol vini. Similiter Cl. Mead: „Opii actio, inquit, bene convenit cum actione ſalium volatilium, hoc ſaltem excepto, quod

*) Jacobi Sacchi, In principia theoriae Brunonianae animadverſiones, Ticini. 1795.

**) Vid. Eius Tractat. de vſu opii. T. I. p. 69.

***) De vſu opii, Tom. I. p. 76.

quod huius exigua portiuncula aequipolleat maiori aliorum plerorumque. Et alio loco*): „Liceat mihi hic denuo provocare ad SYDENHAMVM, qui aegro, ob vomitus et convulſiones animam agenti, pulſu vix micante, et ſudore frigido iam praeſente, generoſa valde laudani doſi cum vita naturalem calorem reduxit. „Et idem auctor**), quolibet in caſu, inquit HVXHAM, largae opii doſes magnam relaxationem et vniverſalem efficiunt debilitatem, quam nihil, quam nova poſt aliquod temporis ſpatium doſis, aut calidum cardiacum levat: effectu cum liquoribus ſpirituoſis opiate conveniunt, qui temporarium furorem aut ſtuporem excitantes debilitate vniverſali, tremore et maxima ſpirituum deiectione finiuntur.

Haec dicta et frequens hodiernus eius in omni caſu, quo debilitas praedominatur, feliciſſimus vſus, medicos invitant ad plures adhuc hac de re obſervationes colligere vt certiores tandem de opii vero effectu reddamur; nos autem huic remedio inter efficaciſſima interim locum tribuere poſſe putamus.

§. 40.

Camphorae vſus etiam in hac febre magnis hucusque difficultatibus premebatur, propterea, quod modo calefaciens, modo refrigerans remedium dicebatur; nunc antiſepticum, nunc in omni ad putredinem vergente ſtatu periculoſum. Pro vtraque ſententia

 ratio-

*) Idem de vſu opii Tractat. p. 72.

**) TRALLES, De vi cardiaca opii ad LVDVIGII disquiſitionem de vi opii cardiaca humaniſſima reſponſio, p. 18.

rationes et argumenta ab experientia — vti volebant — ſumta proferebantur, nulla virium ſtatus habita ratione, quo adhibita fuerit, ita, vt, auctores ſi compares, nullus re vera illi adſcribatur effectus, cui alius non contradixiſſet, — dubium vel anceps certe medicamentum aeſtimabatur. — Si nonnullorum recentium opinionem amplectamur, remedium eſſe vehementer ſtimulans, quod ob volatilem ſuam compagem per totum corpus protinus diffunditur genusque nervoſum afficit, doſibus igitur refractis et brevi intervallo porrigendum, (niſi ſtatum irritationis ac vividiores inde profectas vitae actiones mox virium remiſſionem et ſtatum languoris ſequi vis), virtus inde in hoc morbo exſpectanda, vt mihi quidem videtur, clarior; effectus tam varii ſibimetipſis, vt apparent, contradicentes perſpicui redduntur: In ſtatu inflammatorio (ſthenico) calefaciet, malum augebit, et qualitates totidem nocentes proferet, quam in ſtatu contrario nervoſo (aſthenico) vtiles monſtraverit. Illic pulſuum frequentiam auget, hic diminuit etc. Supervacaneum foret illius in hoc morbo virtutem obſervationibus auctorum fide dignorum confirmare, cum tam magni viri partim iam ante Brvnonem, partim poſt illum, bonos eius effectus maximis laudibus extulerunt. Moleſtum eſt, illam ab aegrotis tam facile, vt ſaepe ipſe vidi, vomitu reiici, quod ſtimulorum diffuſibilium inſuetis (debilitas recta) prae ceteris contingere videtur.

§. 41.

Moſchus nonnullis magnis medicis conſentientibus, excellens remedium eſt atque

prae-

praeclarum in hac febre, vti in omnibus aliis nervofis (afthenicis) morbis. Cum faporem plurimis magis gratum fpargat, eft certe vtile illum dulci admifcere. Quod cari pretii cauffa perpaucis fufficiente dofi porrigi queat, dolendum eft. In vltimo praefertim febris fic dictae putridae ftatu, vbi fpasmi, convulfiones, fubfultus tendinum cet. occurrunt, laudatur.

§. 42.

Vetuftiffimi iam medici primum vino inter fluida remedia ad vitae actiones augendas infervientia locum tribuerunt, et a recentiorum nonnullis maximo cum fructu in hoc morbo in vfum vocatur. Etfi recentibus Anglorum medicis non adfentiamus, qui ad exceffum vsque eo affectis potentiora e vinis porrigunt, maior tamen tunc aegris danda videtur copia, quam in ftatu fano perferre poffint, dum propter debilitatem debiliorem plerumque ac fanis impreffionem efficit. Debilitatis interea fpecies atqne aegroti confuetudo magnam in hoc differentiam conftituunt. Vina calidiori zona exculta efficaciora fe praebent, quam ex frigidiori, quod ab maiori exinde paranda alkahol copia pendere videtur. Quo tardius per vias vrinarias excernitur, et quo magis per totum corpus atque eius fuperficiem diffunditur, eo longius ac opportunius effectus protrahantur neceffe eft. Spiritus, qui e vinis vel aliis rebus deftillando paratur, maiorem probabiliter virtutem monftraret; at quoniam aqua mifcendus, priusquam ab aegris fumitur, multum dehinc virtute fua decrefcit, ideoque variationis potuum cauffa folum adhibendus eft,

nimis

nimis parum hoc modo forſitan hucusque in auxilium vocatus eſt.

§. 43.

Radix Serpentariae, *Senega*, *Valerianae* aliaeque radices aromaticae, iam dudum a medicis medicamenta praeſtantiora in hac febre fuiſſe dicuntur. Cum particulas volatiles contineant, praeparata per coctionem facta, non eumdem cum crudis praeſtare poſſunt effectum, hinc ſequitur, vt ideo his poſtponenda videantur. Quae ex ſerpentaria praeparantur extracta, id proprii habent, vt camphoram redoleant. Abnegata a recente quodam auctore *) Serpentariae, vt et camphorae, in omni putredinis ſtatu virtus, experimentis tantummodo nititur cum rebus mortuis idcirco inſtitutis, quibus non ſolum alia obſtant, quae contrarium docent, ſed nulla in genere, vti ſupra iam monui, in viva conſequentia tribuenda eſt.

§. 44.

Aether ex alkahol acidique intima mixtione ortus ſubtilis liquor, contra hunc typhum, vti contra omnes ſpasmos, convulſiones, ſyſtematum perturbationes a debilitate pendentes, laudatur, et a Brvnone quam maxime incitans, in medicina, ſicut in mundo, ſummam ſedem occupans, declaratur. Quam diverſae noſtris temporibus praeparentur ſpicies, nihilominus recens docet chemia parum illas partibus ſuis differre conſtitu-

*) C. Moench, *Syſtematiſche Lehre von den gebräuchlichſten einfachen und zuſammengeſetzten Arzneymitteln*. p. 367. *Marburg*, 1792.

ſtitutivis, et parum inde effectu differrent, qui ab maiori alkahol his admixta copia oriuntur liquores iisdem fere qualitatibus, debiliori ſolum gradu ſeſe praeſtabunt.

§. 45.

Cortex Peruvianus magnum tandem remedium omni forma et omni modo adhibetur, et, vti plures medici credunt, omnes in febre putrida exiſtentes indicationes abſolvit. Partes nimirum ſolidas, putrida diſſolutione relaxatas roborat, putridos humores in melius mutat, ſpasmosque inde ortos ſolvit. Omnes enim ſine ullius fere exceptione laudibus virtutis ſuae conveniunt. Vis putredinem a partibus mortuis cavendi per experimenta aeque ſufficienter nota eſt, et forſitan inde evenit, eximiam adeo fidem illi a multis in hoc morbo tribui, nec minus ad acidorum exceptionem omnia fere alia praeter hoc remedia inutilia cenſeri. An ex partibus eius conſtitutivis, quae ex conſtringente principio amaro quodam mitigato conſiſtunt, omnes eius, vt nonnulli aiunt, virtutes explicari poſſint, an ſpecifici aliquid contineat, equidem non audeo diſcernere. — Mihi interea non ita eſſe videtur. Nam ne multa de aliis medicaminibus dicam, quae iisdem fere partibus componuntur, neque vero eosdem produnt effectus, medicamenta in genere non mechanico modo, ſed ſtimulo quodam agunt, quem in nervos faciunt, quemque ſola experientia absque vlteriori de cauſſa ratiocinio novimus. Effectus, quos variis in morbis prodit, ab aliis quoque remediis proferri poſſe, probabile eſt, ac nullum

lum novimus morbum, in quo ſtricte neceſſarium eius vſum diceremus. Quod omnibus ſupra memoratis indicationibus eodem modo, quo alia remedia, ſatisfaciat, (vt mea fert opinio) nimirum incitabilitatem adficiendo, hanc activam reddendo, et vitae actiones ſic in ſtatum naturalem reducendo, ex dictis patet. Cur non minus a mortuis rebus putredinem avertere polleat, equidem ignoro. Cum ſtimulis gravioribus adnumerandus ſit, qui hoc in morbo, quantum celeriter requiritur, minime totum corpus penetrant, aliis plerumque diffuſibilioribus miſcetur, quorum quidem effectus citius remittunt, at eo vehementiores validioresque ſunt.

§. 46.

Veſicantia in febre ſic dicta putrida pridem iam, at caute ac in vltimo potius morbi ſtadio diſſolutionis inde metuendae cauſſa applicari conſuluerunt, et noſtris adhuc diebus, tanquam efficaciſſima remedia, adhibentur. Evacuantia magis hucusque dici meruerunt, quod non tam propter incitationem, quam magis ob humoris cuiusdam in veſicam colligendi evacuationem in vſum vocarentur, qualis humor ſaepiſſime tunc cauſſa dicebatur mali, quod eorum vſu averſum fuerit. Stimulantia vim vitae excitantia dicenda ſunt, quae etſi parvo loco incumbant, totius tamen corporis compagem propterea, quod incitabilitas vna et indiviſibilis eſt, afficiunt; quorumque effectus in reliquas corporis partes longiſſime illum ſuperat, cui imponebatur. In omni igitur huius morbi

ſtadio

ſtadio bonum effectum ab variis locis ſuperimpoſitis veſicantibus ſeu potius rubefacientibus exſpectaremus. Cum quam maxime vehementer agant, incitabilitas, ſi vllo modo fieri poteſt, his certe adficitur, et peſſimum ſignum eſt, ſi hanc fortiſſimam actionem nulla plane reactio ſequatur: Extinctam enim omnem vitalitatem eſſe denotat. Si ad veſicam vsque ſtimulus protrahitur, magna ſeri copia excreta, rurſus debilitando agunt, quamobrem nunquam in hoc morbo id fieri ſtatuendum, etiamſi non alia circumſtantia prohiberetur, gangraena ſcilicet, in quam, incitabilitate nimis longe protracto ſtimulo exhauſta, tales partes incidere ſolent.

§. 47.

Victus in hoc morbo magnam ab nova doctrina mutationem ſubiit: Loco enim parcioris e vegetabilibus ſolum conſiſtentis ſecundum propria theoremata plane contrarium poſtulat, lautum ſcilicet e carne vel gelatina confectum. Ab hac idea progredientes, proximam huius morbi cauſſam putridam eſſe, falſa obſervatione ſeducti, quod inter omnes ſubſtantias nulla carne facilius in putredinem abiret, medici, qui vbique hanc arguebant, omnem alium potius praeter talem admitti poſſe crediderunt. Quanquam enim per alia experimenta et hoc detectum fuerit, victum carneum bene paratum in genere facilius citiusque vegetabili digeri, periculoſum tamen exiſtimaverunt, quia particulas putridas augendo novum morbo augmentum porrigeret. At cum vanus hic timor ſit, dum hae particulae, etſi

exiſte-

exiſterent, morbi minime cauſſam, ſed potius ſecundarium malum conſtituunt, et, remota ſolidorum debilitate, qua oriebantur, auferendae ſunt, quod totum genus nervoſum ſtimulando efficiendum, diaetam vegetabilem haec doctrina prorſum reiicit, lautiorem, magis ſtimulantem, maiorem chyli humorumque nutrientium copiam porrigentem, diaetam carneam atque gelatinoſam ſubſtituit, quae virium digerentium reſpectu qualitate quantitateque diverſa, in morbi principio fluida, mox firmior ſit, et tum quam optime condita, quam maxime lauta, pura et pinguedinis expers; de qua nunquam plus, quam vt digeri poſſit, at eo ſaepius dandum. Simile ab aliis auctoribus in hoc morbo diaetae praeſcribendae praeceptum, quamvis non ab iisdem, quibus Brvno vſus eſt, theorematibus egreſſi, et obſervationes tantorum hoc modo feliciter curatorum, vtilitatem atque emolumentum huius in medicina inventi ſufficienter teſtantur.

Horum et ſimilium medicamentorum vel vnius, vel plurium requiſita atque vtili applicatione omne curationis auxilium niti perſuaſum mihi habeo, alia adhuc mihi nota aut ignota remedia exiſtere libenter concedo, ſed horum omnium virtus ſecundum incitationis gradum, quem proferunt, non alio modo, niſi fallor, diiudicanda erit.